

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 1343

**Auteur(s) :** Guillaume du Moulin-Auvray [particulier]

**Bénéficiaire(s) :** Bayeux (chapitre cathédral)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1278, avril

**Lieu d'émission :** Audrieu

**Action juridique :** vente

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Guillaume du Moulin-Auvray (ou de Hervieu) vend, avec le consentement de sa femme, et garantit au chapitre de Bayeux une rente annuelle de 8 sous tournois sur une pièce de terre à Audrieu : le chapitre lui paie 70 sous tournois.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° DLXX, t. 2, p. 326-328.

## Dissertation critique

Avril 1278 ou le 1er 1279 (nouveau style). Avril 1278 est proposé par V. Bourrienne. Pâques tombe le 17 avril en 1278 et le 2 avril en 1279.

Texte établi d'après a

Sciant omnes præsentis et futuri quod ego Willermus de Molendino Alveredi, de assensu et voluntate Ceciliae, uxoris meae, vendidi et concessi capitulo Baiocensi octo solidos Turonenses annui redditus, percipiendos annuatim in tribus virgatis terrae, quas habeo in territorio de Audreio, de maritagio dictae Ceciliae, uxoris meae, sitas in Crouta Anglicorum, justa terram Gabrielis Carpentatorii, ex una parte, et terram Ricardi de Molendino Alveredi, ex altera : tenendos et habendos dictos octo solidos Turonenses dicto capitulo et percipiendos annuatim in dictis tribus virgatis terrae, videlicet ad festum Nativitatis beati Johannis Baptistae quatuor solidos Turonenses, et totidem ad festum Nativitatis Domini proximo inde sequens, sine contradictione aliqua mei amodo vel hæredum meorum, salvo jure et dominio quae antea habebat in dictis tribus virgatis terrae capitulum memoratum ; ita tamen quod nuncius dicti capituli, quicumque fuerit, poterit in dictis tribus virgatis terrae, pro dicto reddito habendo, quocienscumque necesse fuerit, ad dictos terminos, plenariam justiciam exercere. Et ego prædictus Willermus et hæredes mei dictas tres virgatas terrae, in quibus assignatur dictum redditum percipiendum, non poterimus vendere, feodare, elemosinare, seu alicui aliquo modo alienare, nisi de prædicti capituli voluntate et licencia speciali. Ego vero sæpefatus Willermus et hæredes mei dicto capitulo dictos octo solidos Turonenses annuos, ut dictum est, tenemur et debemus garantizare et defendere contra omnes homines, vel excambiare alibi, in nostro proprio hæreditagio, ubicumque sit, valore ad valorem, si necesse fuerit, competenter. Pro hiis autem venditione, concessione, garantizatione, defensione, et excambiatione, dictum capitulum dedit michi sexaginta et decem solidos Turonenses in pecunia numerata. Et, ut hoc sit firmum et stabile, et duret in perpetuum, præsentem cartam

sigilli mei munimine confirmavi. Actum anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo octavo, mense apprili apprili, coram parrochia de Audreyo.